



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Sect. II. De Pastoribus, eorúmque humili conditione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)

Nicolaus
Liramus, &
Magister hi-
st. varum.

Ifc. 58. 7.
Vide Petrus
Morales in
c. 1. Matth.
l. 5. tract. 2.
n. 17. & 18.
mibi p. 84. 9.
ubi de sacer-
dotibus illis
amplius pro
testimonio
dicit.

Idem Petrus
Morales in
c. 1. Matth.
l. 5. tract. 11.
nu. 28. mibi
pag. 990.

Iosephi
gaudium
visio in car-
ne Deo
fuit maxi-
mum.

Ifc. 9. 10.

Ajunt Iosephum arte fabrilis ligneum praelepe in-
cunas & lectulum Christo puero aptasse. Eodem jam
fasciis ligato suam etiam vestem in tegumen suavis-
simo affectu praebuisse. At vero Matrem de capite
velum detraxisse Puero magis fovendo. Virgo bea-
tissima, quam illud fideliter servasti. Cum videris mu-
ltum operi enim, & carnem tuam ne displicerit. Sunt por-
ro qui graviter testentur, tam Iosephi vestem, quam
velum Virginis eximio huic usui consecratum, Ro-
mae in beata Anastasia templo assevari. Testi-
monia ego more meo margini commendo.

Iosephus igitur hunc filium suum in sudore vul-
tus sui, & in labore manuum suarum semper aluit,
individuis ei comes in omni peregrinatione adfuit,
amore tam naturali quam acquisitio, et Theologi
loquuntur, & supernaturali eximie amavit. Hinc
Theologorum aliqui censent, Iosephum cum Chri-
sto rediivo ceterisq; Sanctis in vitam pariter redi-
isse: cum eodem in comitatu ac societate illorum,
qui Christo moriente revixerant; abiisse in caelum;
& Christo & Christi Matre proximum obtinere lo-
cum.

Sed nec inter mortales sua illi defuit beatitudo.
In rebus etiam turbidissimis, in paupertate arctissi-
ma gaudendi fontem habuit largissimum.

Gaudium illius visio in carne Deo quis ambigat
fuisse maximum, varietque auctum e Pastorum ac-
cursu & narratione, ex Regum adventu & munifica-
tione. Nec dubium quin ille haec omnia, uti
Virgo desponsata, in corde suo servavit & contule-
rit, atque inde miram hauserit voluptatem. Huic vi-
ro examumissim conveniebat voluptabilis ille nuntius:

Dicite iusto, quoniam bene.

CAPUT V.

De obsequiis Christo nato delatis.

DE Virginis Matris & nutritii Iosephi obsequiis
Christo Nato delatis, superiori capite dictum.
Nec tamen defuerunt alia, quae Christo deferreban-
tur obsequia ab Angelis, a Pastoribus, ad ipsos Side-
ribus, de quibus agendum.

§. I.

Baruch c. 3.
v. 34. & 39.

Isa. c. 30.
vers. 26.

Matth. c. 2.
vers. 2.
Cur stella
quae appar-
uit Magis
vocatur
stella Do-
mini.

Amb. tom 5.
Hom. 16. de
Natal. Dom.
mibi p. 796.

Hebraeus vates Baruch pervigiles fiderum excu-
bias admiratus, stella, inquit, dederunt lumen in
custodis suis & lacatae sunt, vocatae sunt, & dixerunt, Adsu-
mus; & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic est
Deus noster. & non estimabitur alius adversus eum. Post haec
in terris visus est & cum hominibus conversatus est. Lucu-
lentum testimonium de Spectando inter homines
Deo. His Isaias accinens, Et erit lux luna inquit, sicut
lux solis, & lux solis erit septemplex, sicut lux septem die-
rum in die, quae alligaverit vulnus populi sui. & percussu-
ram plagam eius sanaverit. Verè alligatum est vulnus nos-
trum cum in gramineis cunis ligari se passus est
Deus.

Et certè quamprimum Dominus Iesus sol novus
in stabulo illuxit, nova etiam stella in caelo praeful-
sit. Vidimus ajunt Magi, stellam ejus in Oriente. Ad quae
beatus Maximus, Bene, inquit, stella ejus dicitur. quia
quamvis omnes ab eo create, stella ipsius sunt, haec tamen pro-
priae Christi erat quae specialiter ejus nuntiabat adventum. Et
cetera quidem facta sunt stella, ut mundi ipsius tempora cur-
susq; distinguerent: haec verò prodire iussa est, ut ipsum mun-
di Dominum, & regni caelestis adesse tempus ostenderet. Hoc
officii sol ipse suis avulsus sedibus, si fieri potuisset,
non gravatè praestitisset.

Ambrosius solem sacra nocte illà, & liberalius re-
tulisse non obscure asserit, & in eam sententiam illa

Pauli verba recitat: *Vt per ipsum restaret omnia sive quae in caelis, sive quae in terra sunt.* Subjungit: *Sed enim obscuratur sol cum Christus paritur, necesse est illum splendidius solis lu-
cere cum nascitur.* Et si iudas morte operantibus offundit re-
nebras, cur non Mario parturienti Vita, exhibeat claritatem?
Aut quare non credamus, quod nascente Christo sol ad obsequium
lucidior adveniret, cum Magos ad indicium clarior stella praes-
cesserit? Quod autem hiciple sol ea nocte ad ortum
properaverit, his ostendens rationibus; si stella, in-
quit, per diem alieni temporis officium ministravit, cur non
credamus, quod sol quoque nocturnis horis aliquantulum ma-
turior advenit decesserit? *Suscepit ad Iesus Nave orationem
defecus fecit in die, cur non ad Christi nativitatem festinus
promoveret in nocte?* Ex quo denique factum puto, ut nox
decesseret, dum sol festinus ob Dominicae nativitatis obsequium,
ante lucem mando procul; quoniam nox cursum sui temporis
consummavit. Sol igitur praeter consuetudinem in hac festivi-
tate maturius illuxit. *Quia potius ipsam noctem non susce-
pisset, nec aliquid obscuritatis habuisse, in qua pastores per-
gulant, Angeli exultant, astra deserviunt.* Nec mirari de-
bemus, quod in nativitate Christi nova omnia facta
sunt, cum novum hoc ipsum fuerit, quod Virgo
peperit. Iure sol obsequitur, stella famulatur.

§. II. De Pastoribus, eorumque hi-
mili conditio.

Beatus Lucas natalem hanc laetitiam accuratè co-
memorans, Pastores, ait, erant in regione eadem, vi-
gilantes & custodientes vigiliam noctis super gregem suam.
Tres numero fuisse pastores, communis fert opinio.
Hi gregem suum custodiunt non procul Bethlehem
ad turrim Eder, qui ab oppido Bethlehemo mille
passibus distabat; ubi Iacob suos greges paverat.
Moris erat apud praesatos illos opihones, noctem in
vigiliis quaternas dividere, & gregem vicissim cu-
stodire, onere, ut fit, in plures partito. Quod ea ip-
sa nocte, qua Christus natus, factum esse credibile
nobis est.

Porro de turri hac Eder, Michæa dictu complu-
res accipiunt: *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, usque
ad te veniet; & veniet potestas propria, regnum filiae Hierusa-
lem.* Nunc quare morere contraheris, numquid non rex est
tibi? Chaldaeus interpres Christum ipsum hac turri
adumbratum ait, qui stans in terra caelum attinge-
bat. Nebulosa dici poterat turris illa, quia Hebraeis
certè abscondita: *Posuit Deus tenebras latibulum suum.*

Erant igitur pastores in eadem (Nascentis Christi
regione vigilantes. His verbis lucem mysticam affun-
dens Ambrosius, Videre, inquit, Ecclesia surgens exor-
ditum. Christus nascitur, & Pastores vigilare caeperunt, qui
gentium greges, pecudum more antea viventes, in caulam
Domini congregarent. Grex igitur, populus est; nox, secu-
lum; pastores, sunt Sacerdotes. Aut fortasse etiam ille sit pa-
stor, cui dicitur: *Esto vigilans & confirma.* Quia non solum
Episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam
Angelos destinavit. Quod beatus Gregorius confirmans
illi, ait, praeter ceteris sublimia videre merentur, qui fidelibus
solicite praesunt. Et Beda, Bene, inquit, pastores vigilant
nato eo qui est pastor bonus, qui relictis nonaginta novem
ovibus, per hoc desertum unicum quaesivit oviculam, quam
propria carne pastam in verum ovile reduceret.

Illud singularius observandum: Erant in regione
eadem; in eodem mundi contemptu, in eadem vita
asperitate, in eadem ovium charitate. Sunt qui non
minus vigilent, sed non in regione eadem, quia vi-
gilant in regione daemonis, uti sunt luxores, ebriosi,
comestatores, fures, latrones, potatores, lenones,
gambiones, & hoc genus hominum. Hi quidè vigilant,
sed non ad Socraticas aut Stagiraas chartas, ve-
rum ad fabulas, ad chartulas pictas, ad folia cordis
noxae, glandis, frondis, vigilant, sed ad abacum & fritillam.

lum, ad poeda, ad furta, ad homicidia. Sunt & alii, qui vigilant, sed non super gregem suum; quotidianum est, suo solum bono, & aliter in rem suam vigilare.

Bene autem pastoribus futurus Princeps Pastorum annuntiatur. Et quia idem etiam agnus erat, ordine recto prius pastoribus novellus agnus, quam gregibus Pastor nuntiatur. Fecit autem Dominus primum ex pastoribus Evangelistas & Apostolos; dein ex piscatoribus Pastores.

Pastores isti ad Christi eunas invitati, varie considerandi. 1. Priscos Patriarchas vite genere imitabantur. Illi coram Pharaone rege libere professi sunt: a Pastores ovium sumus, servi tui, & nos & patres nostri. 2. Vigilabant. A dormientibus non invenitur Christus. 3. Simplices erant, adeoque ad fidem adjuvandam faciles & Pharisais multo aptiores. Teste Salomone, cum simplicibus sermone suo, cum paucis & piscatoribus. 4. Pauperes erant. Ioannis discipulis velut prodigium novum dicitur: Pauperes evangelizantur. De seipso Christus, Spiritus Domini super me, inquit, propter quod unxit me; evangelizare pauperibus misit me. Christi Nativitas ex Iudais, pastoribus tantum; ex gentibus etiam regibus nuntiata est. Ipsimet Iudei hoc facti sunt: Numquid aliquis ex Principibus Principes & Reges, quod Isaias predixit: ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Neminem Deus a sui notitia excludit, nisi volentem malis moribus excludit.

S. III. De Angeli ad pastores descensu.

Ubi lux illa, qua pastoribus nocte nascentis Domini oborta, non sine vaticiniis est. Isaias gratulatur: Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. Et addent miles in Domino laetitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt, quoniam desecit, qui pravalebat. Prædixit & David Pfaltes divinus: Nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebrae eius, ita & lumen eius. Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors, & miserator, & iustus.

Et ecce, ait beatus Lucas, Angelus Domini stetit iuxta illos. Non dubium, quin ore lætissimum, splendidissimo vultu, veste candidissima, qualia scilicet tam lætam diem decebant. Iustitiae Soli, qui amicus est lumine sicut vestimento, hoc omnino tribuendum erat, ut ejus etiam ministri, Angeli, ipsius præsertim die natali, radiis vestirentur & lumine. Fuisse Gabrielem Archangelum, qui Zachariae in templo, qui pastoribus in campo, qui Patribus in limbo, qui Matri Virgini in domo, qui tribus regibus in somno, qui Christo ipsi in horto nuntius & solator venerit, sentiunt complures.

Addit B. Lucas: Et claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Hæc Beda explicans, Nusquam, ait, in veteri testamento reperimus Angelos cum luce apparuisse, servabatur id tempore Christi. Nimirum ut non tantum voce sermone, sed etiam divina lucis claritate, ortus veri Solis astrueretur. Hinc & Angeli clara in luce refulgent, radios solares æmulati, ut ipsum in antro laricantem Solem his etiam indicibus patefacerent. Quæ de re Gregorius Magnus. Dum pie, inquit, pastores super gregem vigilant, divina super eos gratia largis corrumpat. Omni autem ex parte pastores splendor ille cinxerat, ut nascentis Christi majestatem ac divinitatem & illis & vobis omnibus indicaret. Timuerunt autem timore magno. Vri lex Evangelium, crux gloriam, ita timor gaudium præcedit.

S. IV. De hilari affatu Angelis ad pastores.

Augustum nuntium, Evangelium verè lætissimum, tæterque quaterque beatissimum è caelo legatus attulit, qui dixit: Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est hodie vobis Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. In lege veteri audiebantur tantum illæ voces: Veniet, nascentur, salvabit. Hodie vox salutis ex ore cælestium nuntii audita: Jam natus est, & ed natus est ut moreretur. Ita hunc Domini Natalem Tertullianus cogitatione complexus, At verò Christus, inquit, mori missus, nasci quoque necessarium debuit ut mori posset; non enim mori solet, nisi quod nascitur: mutuum debitum est, nati tati cum mori, ut & forma moriendi, causa nascendi est. Hodie, ait Angelus, natus est: hodie utique, ait Bernardus, non in hac nocte. Nox sicut dies illuminata, in die in diem mutata est. Siquidem nox præcepit, dies autem appropinquavit, verus utique dies ex die, salutare Dei. I E S V S Christus Dominus noster. Nam non illa dies erat, quia verus sol ortus jam erat.

Nec satis Angelo, pastores alloqui; illos in super ad intuendum novum hoc in terris & Nummum miraculum adhortatus. Et hoc vobis signum, inquit, invenietis insistentem panis involutum, & positum in præsepio. Nimirum in illo vobis noto, communi & omnibus patente loco. Et videtur spelunca illa, ut aliqui opinantur, nomen habuisse præsepi, ob positum illic præsepe. Sin istud non asserendum, tunc certe Angelus vel occulto ductu eos ad nati Servatoris locum perduxit, vel eum verbis ita descripsit, & velut digito monstravit, ut difficilis fuerit errare. Erat autem illud hospitium nati Regis in extremâ Bethlehemi parte ad Orientem, prope civitatis murum. Signum verò & velut tessera salutis datur Paupertas & Humilitas Salvatoris. Et en, nobilissimi fortissimique milites ducis sui panniculos noti erubescunt. Disce hic, obsecro, superbia humana, disce cristas ponere, & alas submittere; disce vestium lautitiam non ambire, paupertatem & pauperes non fastidire. Aspice tuum ducem, si tuum esse agnosceis, & erubescere vilissimum caculam aut lixam molliora, quam ducem ipsum sibi querere. En dux tuus in præsepio vestitur linteolis; tu cacula vilissime, pretium adhuc & pompam, & luxum in veste quæris?

Sed, quæso, cur hic è caelo legatus non missus est ad Augustum Cæsarem? cur non ad Cyrinum Syriæ præfide, aut ad Herodem regem, aut ad Caiphæ summum Pontificem, aut ad Pharisæorum Principem, cur non ad alium ex opulentioribus dynastis aliquem? Verè Deus humilia respexit, & alta à longè cognovit; que stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea que non sunt, ut ea que sunt, destrueret. Placuit divitiæ bonitati in his opilionibus & cognata paupertas, & laudata simplicitas.

Merito Christus agit gratias Patri, quod abscondit hanc à sapientibus & prudentibus, & revelavit ea parvulis. Ità perdidit sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reproboavit. Vbi sapiens ubi scriba? ubi constructor hujus sæculi? Nomen stultum fecit Deus sapientiam hujus mundi.

Non autem ad pastores solum missi sunt Angeli, Ad Magos sed unum aliquem eorum ad stellam in Oriente Magis extollendam, alium ad Patres in limbo confortandos esse missum, credibile. Ita Numinis in mortales infinita bonitas prædicatur in terrâ, sub terrâ & in caelo, & in nomine IESV omne genu flectitur, caelestium, terrestrium, & infernorum.

Angeli ad pastores loquutio. Luc. c. 2. vers. 10.

Beatus in Natali Domini. Serm. 5. sine tituli p. 84. Cur Angelus dicitur: Hodie natus est, & non hac nocte. Eiusdem ad intuendum in terris summi miraculi adhortatio. Luc. c. 2. vers. 12.

Cur Angelus non est missus ad Augustum Cæsarem, aut ad alios ex opulentioribus? Ps. 137. vers. 6. 1. Cor. c. 1. v. 27. & 28.

Matth. c. 11. vers. 25. 1. Cor. c. 1. v. 19. & 20.

S. V.

Handwritten notes in the right margin, including 'Luce' and other illegible text.